

178

1. G.

es

2. Ha,

re

3. J.

1

4. J.

m

5. J.

6.

1

5

7. J.



12
1780,1.

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
PRAEROGATIVA PIGNORVM
PUBLICORVM

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS

RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINO - CAROLINAE
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO
DOMINO

C A R O L O
DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE

REL REL.

KÖNIGLICHE
UNIVERS.
ZU HALLE

CONSENTIENTE ILLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE
PRAESIDE
CAROLO CHRIST. HOFACKER
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,
PRO GRADV DOCTORIS RITE OBTINENDO
DIE NOV. MDCCCLXXX.
PUBLICE DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
L V D O V I C V S S E C R E T A N
LAVSANNENSIS.

TUBINGÆ, TYPIS SCHRAMMIANIS.



DISERTATIO IURIDICA INAGARIA

LAWYER'S TREATISE
TITLED
LAUREGATIA PIGNORVM



QAVM

SAB. VASCVL. DIAZ.

LAUREGATIA PIGNORVM - CIVILIS

MAGISTRALIS ET CIVILIS

REI-ET-CONTRACTUS-AD-POTENTISSIMO-DACE-ET-DOMINO

D. O. M. I. N. O.

C A R O L O

LAUREGATIA PIGNORVM - TECQUE REGNANTE

1570

COPIA

P R A E S I D E

C A R O L O G H Y M E R H O F A C K L I

1570

COPIA

P R A E S I D E

C A R O L O G H Y M E R H O F A C K L I

1570

COPIA

P R A E S I D E

C A R O L O G H Y M E R H O F A C K L I

1570

COPIA

P R A E S I D E

C A R O L O G H Y M E R H O F A C K L I

1570

COPIA

P R A E S I D E

ARGVMENTVM DISSERTATIONIS.

- I.) Introitus. §. 1.
 - II.) Notiones Generales,
 - a) Pignoris & Hypothecæ. §. 2.
 - b) Specierum pignoris. §. 3.
 - 1) Necessarii & Voluntarii. §. 3.
 - 2) publici & privati, cuius notiones, præmissa doctrina de instrumentis publicis & privatis, §. 4. constituuntur §. 5.
 - III.) Principia juris de prærogativa pignorum publicorum præ privatis, & quidem,
- A.) Ex Jure Romano, ubi
- 1) de Sensu & ratione L. 11. C. qui pot. in pig. tum
 - a) quoad primum ejus Caput, si sc. personalis actio exerceatur, §. 6. tum
 - b) quoad secundum Caput, si jus pignoris potius contra concreditorem afferitur. §. 7. 8. 9. 10.

A 2

2) de

- 4
-
- 2) de *effictibus* Constit. Leoninæ in ordinandis diversis
pignorum speciebus;
- a) in concursu Lege *expresso* pignor. conventionalium
publicorum cum privatis, §. 11.
- b) in concursu pignorum, quæ in ratione Legis tacite
continentur cum publicis, (§. 12.) scilicet
- 1) pignoris *Testamentarii*, §. 13.
- 2) ejus quod per *testes* v. *alio modo* legitime pro-
batur. §. 14.
- 3) *Praetorii & Iudicialis*; §. 15. denique
- 4) *Legalis*. §. 16. 17. 18. 19. 20. 21.
- 3.) *Recenso* hactenus dictorum. §. 22.
- B.) Ex principiis *Juris Statutarii* de pignore *publico*. Magi-
stratus auctoritate constituto, vel libro publico in-
serto; §. 23. ubi exponuntur
- 1) *natura* istius pignoris, §. 24. 25. 26. 27. &
2) *principia* juris de *concurso* ejus cum diversis pignorum
Romanorum speciebus. §. 28. 29. 30.

DE



DE PRÆROGATIVA PIGNORVM PVBLICORVM.



§. I.

De Praerogativa pignorum publicorum tam frequens inter recentiores precipue Legum interpres est dubitatio, ut in hoc argumento tot fere habeantur sensus, quot capita. Antequam autem variorum varias sententias exponamus & ad arduam illam intricatamque quæstionem, pro themate hujus inauguralis specimenis à nobis electam, devemus, operæ pretium nos facturos esse duximus, si paucis de pignoribus in genere præmissis, inter eorum diversas species, quarum in subsequenti tractatione mentio fiet frequentior, certos posuerimus limites. Etenim haud infecundus in hac pignorum materia errorum fons fuit, quod inter illos, qui operam in distinguendas varias pignorum Classes contulerunt, alii uni eorum Classi idem nomen, quod alteri ad aliam insigniendam antea adhibuerant, imposuerint: quod non sine periculosa notionum confusione principiorumque permixtione accidisse, nemo non videt.

§. II.

Pignus in latiori sensu acceptum, & quatenus *jus creditoris* isto nomine designatur (*rem enim ipsam oppigneratam*, nec non *contractum pignoris* causa inter creditorem & debitorem initum,

A 3 pigno-

pignoris nomine in Legibus romanis aliquando venire, neminem latet) ita definitur, quod sit *jus reale creditoris in securitatem crediti concessum*. Duæ autem hic comprehenduntur species. *Pignus stricte sic dictum*, in quo possessio rei oppignoratae mobilis vel immobilis ad creditorem transit; & *Hypotheca*, cuius hoc proprium est, quod possessio rei apud debitorem remaneat. Hac vero insuper habita differentia, quippe a nostro instituto plane aliena, utrumque vocabulum in sensu generaliori in sequentibus pagellis indistincte adhibebimus.

S. III.

Respectu ad causam efficientem habito, pignus est v. *necessarium v. voluntarium*. (a) Illud sine debitoris consensu & illo quoque invito, hoc non nisi debitoris voluntate constituitur. Descendit id v. ex ipsa Legis dispositione, v. ex Magistratus auctoritate. Unde *Pignus Legale v. Tacitum* (b) et *Praetorium*. Hoc in *Praetorium in specie* & in *Judiciale* iterum subdividitur. Illud concedit Prætor, creditore in possessionem bonorum debitoris, coercenda contumacia causa, missio (c); hoc vero in bonis debitoris condemnati, judicati exequendi causa, victori competit. (d) *Voluntarium*, prout ex Testamento, v. *Conventione* oritur, est v. *Testamentarium v. Conventionale*. Conventione expresse

(a) Probat. hanc distinctionem doctrinæ causa inventam BALDVINVS de pign. & hypotb. c. 3.

(b) Justinianus in L. 15. C. Commun. de Leg. Tacitum definit, quod nullo verbo praecedente ab ipsa Legi inducitur.

(c) L. 12. ff. pro empt. L. 3. §. 1. ff. de reb. cor. qui sub tut. L. 1. 2. C. de præt. pign.

(d) L. 15. §. 2. ff. de re judic.



7

expresse inita, pignus *Expressum* dicitur. Si vero ex factis concludentibus res suas obligare voluisse quis presumitur, pignus *Tacitum* audit. (e) Ita v. c. pignus tacitum constituit, qui instrumento, in quo bona sua obligantur, subscriptibit, vel qui fideiubet, cum sciat res suas à debitore pignori datas esse. (f)

S. IV.

Sequitur jam illa pignorum distinctio, quæ potissimum ad instituti nostri rationem pertinet & in qua recte stabienda præcipuus ejus cardo vertitur, sc. in *publica* & *privata*. Fundus distinctionis est in celebratissima Constitutione Imp. Leonis seu *Leg. XI. Cod.* qui potiores in *pignore*, quam, ut plenissime in fronte statim tractationis nostræ de ea re omni constet, integrum oculis lectorum subjicimus.

Imp. Leo Erythrio (al. *Antiolo*) *praefectio praetorio.*

„Scripturæ, quæ saepe assolent a quibusdam secrete fieri, intervenientibus amicis nec ne, transfigendi vel paciscendi, seu foenerandi vel societatis cœundæ gratia, seu de aliis quibuscumque causis vel contraclibus conficiuntur, quæ idioχειρα graece appellantur; „five tota series earum manu contrahentium vel notarii vel alte riis cuiuslibet scripta fuerit, ipsorum tamen habeant subscriptiones: „five testibus adhibitis, five non, licet conditionales sint, „quos

(e) Cave, ne quorundam errore deceptus hoc *pignus tacitum conventionale* cum *Legali*, quod taciti quoque nomine venit, confundas. Illud enim ex consensu quodam presumto seu potius tacito, eruitur; hoc vero nimirum jure quodam singulari, in casu speciali a Legibus concessi, ut consensu debitoris nulla plane ratio habeatur.

(f) Plura exempla habet HERTIVS in Diff. de *pignore conventionali tacito.*



„quos vulgo tabularios appellant, sive non, quasi publice con-
scriptas (al. subscriptas) si personalis actio exerceatur, suum
robur habere decernimus. Sin autem jus pignoris vel hypo-
thecæ ex ejusmodi instrumentis vindicare quis filii contendenterit:
„eum qui instrumentis publice confessis nititur, praeponi (decer-
nimus) etiam si posterior is contineatur: nisi forte probatae at-
que integræ opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones
eisdem idiochiris contineantur: tunc enim quasi publice confessa
accipiuntur. (al. aperiuntur.) Dat. Kal. Iul. Constantino
Martiano & Zenone Coss., (A. C. 469.)

Nemo non videt, Imperatorem Leonem in hac lege totum in eo esse, ut definiat causam eorum, qui, dum actionem vel personalem vel realem ad vindicandum jus pignoris sive hypothecæ comparatam institunt, assertioni sue fidem, scripturis vel instrumentis aut secreto s. privatim, aut publice vel quasi publice confessis, conciliare intuntur. Postulat itaque instituti ratio, ut, quid Romani his denominationibus signifaverint, videamus.

I.) Quænam autem instrumenta *publice confessorum* appellatione contineantur, nonnisi sollicita temporum distinctione explicari potest. Etenim 1) solemne erat Romanis, instrumenta s. scripturas, quibus judici fides fit de intentione aliqua, a contrahentibus et testibus non subscribi tantum, sed et signari, (g) eaque signa deprehendenda veritatis causa inquirerabantur. Ubi vero contrahentes scribere nesciebant, virorum negotiorum peritorum utebantur opera. Dicti illi sunt *dictio*
caiso

(g) Testimonia ejus rei habentur apud Guid. PANCIROLVM in *Tresaur.*
variar. lection. L. 1. c. 26.

Perios vel συμβολαιογράφοι, i. e. forensium rerum periti, vel tabularii seu contraētuum scriptores: (h) atque in foro stationes habebant, in quibus contrahentibus instrumenta dictabant, siue ob negotiorum multitudinem ipsis vacare non poterant, vicariam aliorum operam in scribendis instrumentis adhibebant. (i) Scribebantur quoque talia instrumenta a servis reipublicæ ad hoc ipsum comparatis, qui tabularii *conditionales* vocabantur. (k) Quæ itaque contrahentium ac testium cum subscriptio-nes, tum signa, atque a tabulario conseccta hujus quoque subscriptionem haberent, instrumenta publice *confecta* et *ἀγοραῖα* seu forensia appellabantur. 2) Cum vero mortuo tabulario & testibus, a quibus rei veritas exquiri posset, omni fide desti-tueretur instrumentum ira *confectum*, adeo ut necesse tunc esset ad comparisonem litterarum tabularii, contrahentium & testium recurrere, (l) eo devenit est, ut *publicaretur* instru-mentum, sc. consensu contrahentium, vocatis ante*a* testibus, qui subscriptiones & signa agnoscerent, actis insinuaretur, apud quos & quibus auctoribus res in acta publica referuntur, veluti apud magistratum census vel magistratus municipales vel defensores plebis, (m) quo facto perpetua illi, *tanquam monu-*

(h) Nov. 73. §. si vero.

(i) Nov. 44.

(k) Varias conjecturas, unde hi tabularii nomen *conditionalium* acce-p-tant, vid. ap. PRATEIVM in *Lex. Iur.* & ap. BRISSON. de *V. S. Pro-babilis est HEINECCII in not. ad Briss. conjectura, cui ita videntur dici, qui vel certis tantum conditionibus serviebant, vel ea lege & condi-tione manumisssi fuerant, ut adhuc certas operas & servitia praestarent.*

(l) Nov. 73. alleg. PSELLVS in *leg. Synops.* vers 1209. sqq;

(m) PANGIROLVS cit. loc. CVIAC. in *Exposit.* Novell. 73.

monumento *publico*, conciliabatur fides.³⁾ Denique vero, cum auctoritate Principis aut Praefecti praetorio, quidam eligerentur *Tabularii*, qui acta publica scriberent, instrumentis quoque ab his confectis vis & efficacia instrumentorum publicorum dari coepit, (n) modo forma a legibus praescripta servata & testium, instrumento a *Tabellione* adscribendorum, legitimus numerus adhibitus fuerit.

II.) Quæ autem inter ipsos contrahentes sine testibus & signis, nec non sine fide auctoritate publica, confectæ erant scripturæ, *διστολæ* seu *αυτόχθονæ*, (o) instrumenta seu scripturæ *privatae*, quæque *secreta* sunt, dicebantur: sive manu contrahentium vel Notarii, (p) vel cuiuslibet alterius, scripta fuerint, ipsorum tamen habeant subscriptiones; sive testes adhibiti sunt sive non. (q) Tale instrumentum cum ex scriptione vel subscriptione rei fidem acciperet, facile appareret, si is negaret a se illud scriptum esse vel subscriptum, probatione opus fuisset, illius esse manum; quod, cum aut testibus fieri deberet aut literarum comparatione, Iustinianus numerum testium, qui ad finem istum obtinendum instrumenti confectioni adhiberi deberent, nova constitutione definit. (r) Sed et, quod maxime ad institutum nostrum pertinet, Imp. Leo in alleg. Con-

stitu-

(n) L. 3. C. de *tabul.*

(o) Nov. 49.

(p) *Notarii*, de quibus in hac lege mentio occurrit, nihil aliud erant quam servi, quos Romani ad domesticas suas scripturas conficiendas adhibebant; ideo cum nostris hodiernis ac publicis Notariis nullatenus sunt confundendi. Vid. BRISSON, de *V. S. Voc. Notarius*.

(q) L. 11. C. q. *pot. in pig.*

(r) Nov. 73.

stitutione quasdam instrumentorum privatorum species denominat, quas quasi publice confessas robur suum habere decernit, hac servata distinctione, ut 1) si personalis actio exerceretur, instrumentum privatum, sive manu contrahentium v. notarii vel alterius cuiuslibet scriptum fuerit, modo eorum habeat subscriptiones, isto nomine quasi publice confessi venire; quando vero 2) aliquis jus pignoris vel hypothecae ex eiusmodi instrumento (sc. privato, quod supra *ιδιόχειον* appellaverat) vindicare contenderet, illud tantum instrumentum, quod probata atque integræ opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones contineret, pro quasi publice confessio haberi deberet. En tabulam, quæ plures instrumentorum species, quibus Romanis utebantur, uno obtulit referret:

Instrumenta negotia
privatorum concernentia

publice confessæ, secrete s. privatim
confessæ.

a contrahentibus actis judi- a tabula-
& testibus subscripta cialibus in- rior publico
& signata. finuata, confessæ.

quali publice confessæ. privatim tantum
confessæ.

q. action. personalem: q. act. hypothecar.
subscripta a contrahen- a tribus testibus
tibus v. notario. subscripta.

B 2

S. V.

Ex constitutione hac Leonina cum omnis ratio prærogative inter pignora publica et privata derivetur, nulla sane difficultas obtinet in efformanda notione apud Interpretes juris vulgo recepta. *Pignoris publici, quasi publici & privati. Publicum est, cuius constitutio ex instrumento publice confecto. Quasi publicum, cuius constitutio ex instrumento quasi publice confecto; privatum denique, cuius constitutio non nisi ex instrumento privatum confecto, probari potest.* Intelligitur ex his, omnes istas notiones nominis a forma instrumenti, qua probatur pignoris vel hypothecæ constitutio, recte deduci. Qui secus faciunt, diversa confundunt, ac Imperatori Leoni, prærogativam pignoris publici præ privato definienti, notiones substituunt, quas nunquam cogitavit ille. Præsto est LEYSERVUS (a) quique eum sequitur V. C. HELLFELD. (b) qui argumento quodam, ex affinitate quadam cerebrina verbis potius quam rebus constante, ducto, hypothecas tacitas publicas esse ait, quia „jus, „quod lex ipsa & auctor ejus, Princeps, constituit, non minus publicum sit, quam id, quod magistratus inferior, minister Legis & „Principis, condit.“ Rem rectius declaravit I. H. BOEHMERVS (c) cuius verba sic se habent. „Publicae (hypothecæ) sunt i) ratione causæ efficientis, quæ non facto debitoris ejusque

(a) in Spec. ad Pand. 226.

(b) in Diff. de prærogativa hypothecæ publice iacutæ aequæ ac expressa competente. §. 9.

(c) in Diff. de prærogativa hypothecarum publicarum, quæ inserta est Exerc. ad Pand. Tom. 3. Ed. 60.

„consensu, sed vel per legis dispositionem, quod in legalibus s. tacitis hypothecis contingit, vel facto judicis solo, cui in pignore praetorio et judiciali deprehendimus, constituantur, neque adeo ab aliis privatis hypothecis, a debitore per conventionem privatam confessis, ratione praelationis differunt, sed ex prerogativa temporis colligantur: Deinde 2) publicae sunt hypothecae conventionales, a modo constituenti ita dictae, quod ipsius debitoris consensu, publica auctoritate & fide constituantur, instrumentisque publice confessis instantur, ut dicitur in L. 11. C. qui pot. in pign. Et a privatibus conventionalibus in eo differunt, quod haec secrete fiant inter contrahentes per privatam scripturam., Periculosa sane res est, rebus diversis nomen idem imponere, idque sepiissime mentes non satis providas confundit: ideoque nos hypothecas, quas BOEHMERVS publicas ratione cause efficientis appellat, necessarias: et eas tantum, quas ratione modi constituendi tales esse ait, publicas ex mente Leoninæ constitutionis vocabimus.

§. VI.

Exposita ex mente Romanorum pignoris publici privatique notione, jam in ipsa principia, quibus secundum Leoninam constitutionem definitur pignoris publici pre privato prerogativa, tunc inquirere licet. Primum istius Constitutionis caput, quod inde a verbo: Scripturas procedit & verbo: decernimus finitur, de concurso creditorum pignoratitorum jus hypothecæ actione reali vindicantium, nihil plane definit, adeoque semimatum tantum illud recensere propositum nobis est. Edicit scilicet Imperator, scripturas priatas inter contrahentes confessas,

suum robur habere, si personalis actio exerceatur, sive à partibus ipsis, vel a Notario, vel a tertio quocunque scripte fuerint; sive testes, etiam *Talularii* adhibiti fuerint sive non, veluti ac si publice conscriptæ fuissent, modo contrahentium muniantur subscriptionibus. Hæc autem dispositio non nisi e principiis universalibus emanat. E sola enim debitoris subscriptione elicetur ejus confessio, validissima contra eum probatio; modo tamen agnoscat debitor se subscripsiisse; alioquin ipso negante, ad testes comparationemque litterarum creditori recurrendum erit. Etenim Leo Imperator (ut id obiter notemus) omnem fidem tali privata subscriptioni contra debitorem adhiberi, minime statuit, sed id tantum, quod tale instrumentum *robur suum* habeat, id est, *robur*, quod per Leges, suamque propriam naturam obtinet. Ubi vero suam manum agnoscit debitor, ex confessione propria ita convictus, nihil habet, quod creditori, actione personali contra eum agenti, opponat. Nec ullum porro discrimen inesse videtur: si actione *reali*, hypothecaria forte, contra ipsum debitorem experiatur creditor, cum in utroque casu eadem adsit Legis ratio. (a)

§. VII.

Sequitur alterum Constitutionis Leoninæ caput, quo prærogativa pignoris publici & quasi publici præ privato hoc modo definitur: ut creditores, qui in vindicando jure pignoris seu hypothecæ, nituntur 1) instrumentis publice confectis & 2) Idio-

(a) Idem statuunt Doctores citati apud GABRIEL, in *Conclus. jur. L. I.*
Concl. 9. §. 2.

Idiochiris trium vel amplius virorum probatæ atque integræ opinionis subscriptionibus munitis, quæ quasi publice consecuta accipiuntur, præponi debeant creditoribus, qui Idiochiris tantum fundantur, etiam si illi posteriores, sc. tempore, continentur. Quantumcunque in aprico sit, derogari hac constitutione regulæ generali de prærogativa pignorum ex temporis prioritate constitutæ, ita sc. ut pignus publicum tempore posteriorius, pignori privato, tempore anteriori, debeat præferri: de rationibus tamen hujus dispositionis non omnibus res æque expedita videtur, unde in has sollicitiori studio inquirere operæ pretium est.

§. VIII.

Primum quidem in eo dissentient juris interpretes, unde in Constitutione Leonina prærogativa pignoribus publicis & quasi publicis præ privatis concessa debeat derivari. Alii enim & quidem plerique Doctores privilegium quoddam vel jus singulare publicis pignoribus præ privatis ab Imperatore impertitum fuisse contendunt, atque Constitutionem Leoninam pro antiqui juris correctoria reputant. Aliis vero nequaquam nova & correctoria, quin potius veteris juris confirmatoria, si a forma instrumentis quasi publice consecutis præscripta discesseris, esse videtur. Neque vero ista lis componi facile potest, nisi inspecto jure antiquiori, quod se. ante tempus Leonine Constitutionis in definienda pignorum relatione & prærogativa obtinuisse, ex ipsis Legibus vel saltē argumentis eārum demonstrari potest.

§. IX.



§. IX.

Est vero regula juris prisci & evidentissimi, pignorum inter se prærogativam, excepta causa privilegii, ex temporis prioritate debere estimari, ita ut prius tempore potius quoque sit jure; sive necessarium sit sive voluntarium. Ita pignus legale cum conventionali pari passu ambulare, argumento est, quod is, cui fundus expresse est obligatus, reipublicæ, hypothecam posteriorem sive expressam sive tacitam, habenti præferatur; (a) imo quoque ex eadem ratione jure constitutum est,
 „si & jure judicatum & pignus in causa judicati ex auctoritate ejus, qui jubere potest, (sc. judiciale.) capitum est, privilegii temporis fore potiorem heredem ejus, in cuius persona pignus constitutum est.“ (b) Quodsi vero certum omnino est, creditorum de prærogativa juris pignoratitii inter se contendunt, causam potiorem regulariter ex temporis, quo pignus aliquod constitutum est, privilegio desiniri; illud quoque omni dubitatione expeditum est, quod is creditor, qui cum altero creditore de prærogativa juris pignoratitii contendit, non tantum de eo, quod sibi jus pignoris legitime constitutum sit, sed & de tempore, quo id contigit atque ex cuius prioritate is alteri vult præferri, fidem, per media probandi legitima, testes scilicet instrumenta, facere teneatur. Unde v. g. qui pignore aliquo legali nititur, non tantum existentiam illius debiti, in cuius securitatem pignus a legibus constituitur, instrumentis vel testibus probare necesse habebit, sed etiam tale debitum hoc illo tempore contractum suisse: idem & obtinebit

(a) L. 4. C. qui pot. in pign.

(b) L. 10. D. qui pot. in pign.

bit in eo, qui in actione hypothecaria contra creditorem posteriorem instituenda, conventionem ea de re cum debitore initam pro se adducit. Quid, quantumque in probatione ita suscipienda testibus efficiatur, nihil attinet dicere, cum ex principiis juris generalibus id facile queat disjdicari: videamus de instrumentis. Quodsi fides de constituto pignore aduersus debitorem negantem tantum facienda foret, id productione instrumenti quod is scripsit vel subscripsit, quodque plenam ideo aduersus debitorem probationem praebet, facile obtineretur. Sed aduersus creditorem, quem ex temporis prerogativa vincere vult alter creditor, ista debitoris confessione, quae in scriptura inter contrahentes secrete & privatim confecta continetur, nihil omnino efficitur. Quid itaque? opus esse videtur tali instrumento, cuius forma omnem fraudis atque collusionis inter debitorem & creditorem factae suspicionem everteret, atque ideo plenam aduersus creditorem posteriorem probationem suppeditaret. In eo cum constet instrumenti publice confecti vis & auctoritas, falli nos non putamus, si ex hisce juris principiis, pignoris quod ex instrumento publice confecto vindicatur, prerogativam praeco, quod privati tantum instrumenti fide nititur, derivari legitime posse, existimemus. Iure itaque contendi videtur, omnem istam pignoris publici praे privato prerogativam proprio loquendo, neque regulæ communi de prioritate temporis proficia dero-gare, neque singulari aliquo privilegio inauri, sed ex communib, de probatione aduersus creditores concurrentes facienda, ita pendere principiis, ut, modo quis in concursu cum alio concreditore, plenam de jure ipso pignoris et præfertim de tempore ejus constitutionis, fidem facere queat, nihil referat, an pignus legale aut prætorium, vel voluntarium, testamentarium

tarium, seu tandem conventionale habeat, nullusque hac in specie, an conventioni accelerit scriptura nec ne, respectus habeatur. (c)

S. X.

Ex his sane principiis adornasse videtur Constitutionem suam Leo Imperator. Oppido is non tam ad internam pignoris constituti qualitatem, quam potius ad diversam instrumentorum publicorum & privatorum, quibus demonstrari queat pignoris constitutio, fidem respexit, ita ut magis jus antiquum de instrumentorum fide confirmasse & quodammodo determinasse, quam jus plane novum introduxisse nobis videatur. Statuit enim Imperator, idiochiris sive instrumentis privatim & secrete inter creditorem & debitorem consecutis, nihil plane probari posse de potiori jure adversus creditorem posteriorem, qui jus pignoris sibi concessum instrumentis publice vel quasi publice confessis probare queat. Cum vero illud instrumentorum genus presumptionem fraudis praे se ferat, sieque vix ullam mereatur fidem (quam facile enim ad incitas redactus vel bonis lapsus debitor, a creditore damni vitandi cupido, etiam vi-

lissimo

(c) L. 4. D. de pign. „Contrahitur hypotheca per pactum convenientium, cum quis pacificatur, ut res ejus propter aliquam obligacionem sine hypothecae nomine obligatae, nec ad rem pertineret, quibus sit verbis, sicut est (d) in his obligacionibus, quae consensu contrahuntur. et ideo sine scriptura si convenient, ut hypotheca sit, & probari poterit, res obligata erit, de qua convenient. sunt enim de his scripturæ, ut quod actum est, per eas faciliter probari poterit; & sine his autem valer, quod actum est, si habeat probationem, sicut & nupiae sunt, licet restationes in scriptis habitas non sunt.“

lissimo pretio ad id, ut prælato die hypothecam dolose ei constitutat, allici potest?) hæc vero publice conscripta vel trino teste clasticō corroborata veritatis & imprimis certitudinis apostolicæ argumentum per se præbeant: vestigiis sane juris antiqui institisse dici potest Imperator, qui, ut furtivis nequitatis & collusionibus dicitorū cum creditoribus in necem aliorum factis viam penitus occluderet, pignora instrumentis publice vel quasi publice consecratis munita, illis, quæ privatorum tantum instrumentorum fide considerent, voluit præferri.

§. XI.

Tantum de ratione legis hujus *Scripturas*. Jam de ejus efficiib⁹ in ordinandis diversarum pignorum Clathrum inter se collidentium, prærogativis solliciti, ad caput ipsum quæstionis progredimur. Et primum quidem, si de concursu Pignorum conventionalium publicorum cum privatis quæritur, hæc procul dubio ex verbis plus quam d̄sertissimis hujus Legis tenenda venit regula; quod scilicet hypothecæ privatæ publicis & quasi publicis indistincte postponantur. Quæ regula cum ita generaliter in Lege tradatur, nulla omnino ratio adpareat, cur idem obtinere non debeat, sive simplex sit illa privata hypotheca, sive inter illas, quæ a Legibus *privilegium* quoddam singulare acceperunt, referatur. Nam tantum abest, ut creditor, privilegio prælationis præ aliis hypothecariis gaudens, de jure suo hypothecæ docere non teneatur, quin potius eo plenius & evidenter de illo fidem facere debet, quod tale *privilegium*, respectu aliorum creditorum subsequentium, pro odio merito habeatur. Ita nimur is, qui co, quod pecuniam in prædium

emendum creditit, privilegio prælationis utitur, ideoque creditori alicui publicum pignus habenti præferri vult, scripturam privatam pro se allegare nequit, sed aliis indubitatissimis mediis probare tenetur, quod illud sibi obligari caverit. Eodem modo fidem facere debebit creditor, qui pecuniam ad emendam militiam mutuo dans, nedium hypothecam, sed & prioritatem ante omnes alios, in illam sibi reservat, propter Nov. 97.

C. 4. In hac vero constitutione illud occurrit admodum singularē, quod, ut illa creditoris propter causam militiae summe privilegiata hypotheca, contra mulierem, pignus legale ratione dotis in bonis mariti obtinentem, valeat, scriptura publica vel quasi publica, seu testibus subscripta, præcise requiratur, ita ut non tantum privata hic reprobetur scriptura, sed etiam hujus hypothecæ constitutio per testes probari nequeat.

S. XII.

Quodsi vero res quoad concursum pignorum publicorum & privatorum inter se, ab omni dubitatione expedita videtur, longe aliud dicendum erit de illorum collisione cum aliis pignorum speciebus. Etenim cum hic altum sit in Lege nostra silentium, permultas exinde difficiles ac apud primi subsellii Doctores diversimode decisas, enasci quæstiones, nemo facile negabit. Quid enim juris erit de prioritate publicarum hypothecarum præ testamentariis vel conventionalibus, testibus seu aliunde prolatis, vel judicialibus vel praetoriis vel tandem legalibus? Deficientibus textibus expressis, nonnisi ad ratiocinia ex analogia Legum subducenda nobis est consugiendum, operaque in hoc præsertim navanda, ut cum antiquis juris principiis

Leo-



Leoninam conciliemus constitutionem; hic enim rei cardo omnino veratur.

§. XIII.

Ut vero a *Testamentario* pignore, creditori scilicet a Testatore constituto, initium faciamus, queritur de loco ei, in concursu cum conventionalibus, assignando? & an publicis vel privatis illud sit æquiparandum? Siquidem ad tempora ante Leonina respiciamus, *Testamentarium* pignus, cum aliis quibuscumque non privilegiatis, ex sola temporis prærogativa estimatum suisse, ex supra dictis fatenum erit. Cum autem L. *scripturas* de tali pignore nihil prorsus edixerit, & prærogativam, publicis præ solis privatis concessam, in præjudicium aliorum & nominatim *Testamentarii*, minime extendetur; inde ex rectiori sententia colligi potest, *testamentaria* pignora, sicuti ante, ita & post Leonis constitutionem, cum publicis concurrere. Huic accedit alia ratio. Quodsi quidem prærogativa pignoris publici, fidei majori, quæ instrumento publico habetur, tribui debeat, in proclivi est, eandem & hic valere rationem, cum *testamentum ipsum*, quo pignoris voluntate testatoris constituti probatio continetur, pro instrumento publico a legibus habeatur. Argumento est L. 2. pr. D. *testam.* quem. aper. ubi: „*Tabularum testamenti instrumentum non est unius hominis, hoc est haeredis, sed universorum, quibus quid illic adscriptum est: quin potius publicum est instrumentum.*” Vix autem necessum habemus monere, hoc de testamento tam perfetto, ac sua forma, in quavis specie legis necessitate requisita, instruendo, intelligi. Nam, absque illa forma testa-

— — — — —

mentum non subsistit: ea vero observata, in dubium revo-
cari non potest, quin ut & alia testamenti capita longe
majoris momenti, ita & pignoris datio, consistat, plenissi-
mumque fortius effectum, ita ut illud testamentarium
pignus, cum omnibus aliis quæ, Leges expressa dispositio-
ne ei non antetulerunt, ex temporis ordine concurrat.
Ut ergo Viro Celeberr. F. Chr. HARPPRECHT. (a) assen-
tiamur, a nobis impetrare non possumus, qui in prærogativas
pignoris in Testamento Principi oblato, vel apud acta judicii
condito, constituti, inquirens, illud publicis postponi & cum
privatis concurrere, adhuc mat; hoc scilicet subnixus fundamen-
to, quod „neque Princeps cui illud offertur, neque Index apud
„quem hoc alterum conficitur, de hujusmodi pignore, si testamentum
„vel in scriptis confectum vel nuncupativum implacatum sit, regula.
„riter notitiam, ante talis Testatoris mortem, consequitur, siveque
„nec illud adprobat, nec de eo cognoscit, sed hujusmodi elegia
„simpliciter recipit &c.“ Nam, si tanti viri sententiae aliquid
objicere liceat, hæc principia magis ex doctrina Iuris Germa-
nici de pignoribus judicis auctoritate & consensu constitutis,
de quibus infra plura adducentur, quam ex Romano jure de-
rivare videntur. Dum enim publicorum instrumentorum prio-
ritatem præ privatis in L. I. C. qui potior, adornavit Imper-
ator, minime securitati creditoris, hypothecam sibi constitui-
curantis, ne scilicet tales, quæ alteri jam sit devincta, acci-
piat, prospicisse creditur; cum hæc cautio, ceteroquin sapien-
tissima, ad Germanica instituta potius pertineat. Quoniammo
ad solam probationis certitudinem, ne in concursu iverus ali-
quis

(a) In Diff. d. pig. publ. §. 3.

quis creditor, fraudibus alterius conceditoris, cum debitore colludentis, deciperetur, respectum habuit Legislator. Hujus veritatis argumento sunt quasi publica instrumenta, quæ a tribus testibus tantum subscripta, ab omnibus aliis facile ignorari possunt. Probationis vero certitudinem omnino in Testamento pignore occurtere, nemo non videt; cum ab ipsa Lege formam ad probandum necessariam obtinuerint Testamenta. Exinde sua sponte consequitur, quod et si instrumentum publicum aliquandiu creditorem posteriorem latuerit, nullatenus ideo cesseret esse publicum, nec hypotheca, quam tale loquitur instrumentum, eo ipso qualitatem publicæ amittat. Quamobrem de Jure civili, Testamentum nihilominus publicum est instrumentum, etiam si, ut in specie a Dn. HARPPRECHT proposita, statim ab inicio publici juris haud factum fuerit, adeoque pignus quod isto testamento constitutum est, pro publico ex mente quidem Romanorum reputandum est.

S. XIV.

Quid porro de illo pignore tenendum, cuius constitutio per Testes Classicos, vel *quocunque alio modo*, plene legitime probatur? Hic vero omnis de instrumentis quæstio removetur; nam si ex ipso instrumento pignus sibi vindicat creditor, juris est plus quam evidenter, quod nisi publico vel quasi publico muniatur instrumento, nullam præ privatis spe rare possit prærogativam. Nec cum V. C. HELLFELD (a) querendum est, an hypotheca coram tribus testibus masculis, integræ fidei, nulla interveniente scriptura, concessa, sit *quasi publica*,

(a) *Diff. alleg* §. 2.



publica; quod is equidem contra BOEHMERVM negantem (b) adfirmat. Etenim tres testes integræ fidei, ad formam instrumenti quasi publici ab Imperatore requisiti, nullum ad conventionem de pignore, sine scriptura initam, habere videtur respectum. Inde, etiam si ab omni dubitatione expeditum esset, hypothecas tali conventione constitutas, eodem jure gaudere ac publicas vel quasi, minime ideo *quasi publicae* dici merentur, cum illa denominatio, illis solis hypothecis trium testium & partium subscriptione munitis, ex verbis L. *scripturas* tantum conveniat. Melius itaque generatim queritur, quænam sit prærogativa hypothecarum, aliunde quam ex instrumento plene probatarum, sive per testes vel quocunque alio modo; quin enim talia valeant pignora, per textus legum disertissimos, dubitare haud licet. (c) Tales quidem hypothecas, ante Legem Leoninam, cum quibuscumque aliis non privilegiatis, etiam concurrisse, nihil suppetit dubii. An vero ea constitutione earum mutatus fuerit status, nunc supereft examinandum. Legem *scripturas* ad instrumenta & pignora instrumentis probanda unice respicere, minime vero ad illa, quæ sine scriptis conceduntur, jam supra tetigimus. Huic consequens est, horum ratione iuri veteri nullatenus derogatum esse, hoc effectu, ut publicis postponantur. Minus itaque valere videtur *J. H. BOEHMERI* argumentum, qui dum hypothecis, testibus probatis, prioritatem præ privatis denegat, hanc sententię suę reddit rationem:

(b) *Diff. alleg. Cap. I. §. 8.*

(c) *L. & D. de fide instr. L. & D. de pign. et kyp.*

nem: quod Imperator, trium testium, integræ opinionis subscriptiones, ad formam, & ut probationis per testes circuitus & ambages vitarentur, requisiuerit. (d) Neque enim ex ista Constitutione constat, eam brevitatis in probatione studio latam esse ab Imperatore, cum potius ex verbis ipsius Legis aliam ejus rationem colligere liceat; eam scilicet, ut infinitæ fraudes, quæ instrumentorum privatorum confectione *secreta* sunt, ita coercentur. Sed ponamus jam, quod formam quamdam instrumentis quasi publicis prescriperit Imperator, vix inde concludere licebit, hypothecas sine instrumentis confessas, vel nullius prorsus momenti, vel saltim infirmioris iuris, factas suisse. Pro illorum sententia, qui has hypothecas publicis æquiparari debere contendunt, militare quoque videtur argumentum a Novella 97. c. 4. desumptum. Etenim cum Justinianus, privilegium admodum singulare, illis, qui ad militiam emendam crediderint, tribuere vellet, ita ut non solum omnibus aliis creditoribus hypothecariis, ideo & publicis, sed etiam mulieri ipsi, hypothecam privilegiatam in bonis mariti ad repetitionem dotis habenti, preferrentur, nec jus adeo singulare, nisi illi, qui nendum plene, sed etiam quodammodo solemniter probasset, concedendum putaret, exceptione quadam speciali, probationem talis hypothecæ constitutionis per testes fieri expresse vetuit. Hoc autem minime necessum habuisset Imperator, si hypothecæ per nudos testes probatae privatis regulariter æquiparandæ suissent. Sicut enim hæ, vel privilegio ornatae, publicis praire non poterant (§. XI) ita &

(d) loco cit:

D

& illæ hujusmodi privilegii jam antea incapaces fuissent. Justiniani igitur ordinatio, qua hac lege creditori propter militem, privilegium prælationis præ aliis omnibus concedit, ut publicum edat instrumentum, prorsus inutilis ac supervacanea fuisset, si etiam ante illam non aliter privilegii capax fuisset creditor. Ast, si verum amamus, liquet per dictam constitutionem, quod, cum hypotheca per testes vel aliunde sine instrumento probata, æque capax esset privilegii ac publica, Justinianus, qui, ut jam advertimus, quandam solemnitatem in probatione hujus summe privilegiæ hypothecæ inducere decreverat, nonnisi singulari a jure communi exceptione uti debuit, dum probationem per testes faciendam in hoc argumento reprobavit. (e) Ne vero nobis ita disputationibus auctoritas desit aliorum ita calculos subducentium, id tantum allegare sufficit, antiquiorum JCTorum tere totam cohortem non dubitasse jura publicarum hypothecarum illi hypothecæ, quam scriptura quidem privata loquitur, sed a duobus testibus tamen confirmatur, qui deponant de veritate in scriptura contentorum, concedere; cum minus hic ad scripturam ipsam, quam ad probationem plenam, e testimonio duorum virorum, de ipsius negotii existentia deponentium, emergentem, attendatur. Inter ita sentientes, imprimis numerandi veniunt BALDV^s, (f) PYR.

(e) Cf. RITTERSHVSIVS ad Nov. 97. In Iur. Justinian. Part. 3. Cap. 8. §. 8:
cujus haec sunt verba: „Sed addit (Imperator) runc demum hoc valere,
„si negotium gestum fuerit scripto, cui testes subscripserint: nam antea
„præferebatur creditor, quamvis scriptura non accessisset: dummodo alti-
„ter probare posset veritatem rei gestæ sive jus suum..”

(f) BALDV^s in Codic. ad L. Scripturas n. 6, et in Consil. Lib. 1. Cons.
498. n. 5.

PVRPVVRATVS , (g) Vinc. de FRANCHIS , (h) & plures adhuc allegati apud Ant. GABRIELI , (i) & De PASSERIBVS , (k) quibus jungendi præcipue MARESCOTVS , (l) qui in Rota romana ita judicatum fuisse refert , nec non viri magnæ hodienum in foro auctoritatis GAILIVS , (m) et MEVIUS (n) . Imo quoque hic non subsistunt alii Doctores , sed et permulta et fere innumera asserunt hypothecarum conventionalium exempla , quas , propter evidentiam probationis , privatis accenseri , pernegan t . Si , v. g. debitor confessus esset in judicio , se ante hypothecasse , prout in scriptura privata continetur , quam ipse contraheret per publicum instrumentum ; vel , si confessio probaretur emissa , tribus tantum testibus presentibus , licet non in scriptis ; si duo testes essent subscripti et adessent alia adminicula majoris ponderis et auctoritatis , quam unus testis . Si per tres testes litteratos & intelligentes , recognosceretur scriptura privata subscripta manu partium , quia assererent se vidisse dictam scripturam ,

D 2

(g) PVRPVVRATVS in L; admonendi D. d. jurejuri n. 170.

(h) Vinc. de FRANCHIS in Decis. 95. n. 7.

(i) Concl. Lib. X. §. 9.

(k) De PASSERIBVS d. scrips. priv. Lib. 1. Quaest. 8. Concl. 2. §. 11.

(l) Herc. MARESCOTVS Resolus. L. 1. c. 79. n. 13.

(m) GAILIVS obser. pract. L. II. obs. 25. n. 10. „Imo , est si nulla privata scriptura confecta sit ; ramen si constitutio hypothecae et quo tempore facta sit , testibus probari possit , creditor tempore prior praeferriri debet creditori posteriori habenti hypothecam publicam ; quia non minorem fidem faciat testis , quam instrumentum publicum . L. iu exereendis C. de fid. instr. .“

(n) MEVIUS Decis. P. VIII. Dec. 362.



turam, antequam conficeretur publicum instrumentum. (o) Plura hujusmodi exempla videat cui volupe est. Unumquemque vero casum referre, in specialemque disquisitionem vocare, nec vacat nec opus est. Ast consultius faciemus, si hæc omnia ad generaliora reducentes principia, inde communem quædam regulam, omnibus casibus singularibus applicandam, efformemus. Hæc autem ita sere concipi potest. Si non nisi ex instrumento prærogativam rogat creditor, tum ut illud formam habeat a L. II. C. qui pot. præscriptam, necesse est. Ubi vero hypothecam sine instrumento constitutam allegat creditor, illamque plenissimis argumentis probat, nulla sufficiens adparet ratio, cur aliis publicis vel quasi postponendus sit; nec creditor etiam illud nocere videtur, quod scriptura negotio intervenierit, modo ex illa sola minus probante charta suas non hauriat probationes; sed aliunde de tempore ejus constitutionis legitime fidem faciat.

S. XV.

Nec aliud statuendum videtur in causa pignoris *judicialis* & *Praetorii* in specie sic dicti, quæ etiam cum publicis in pari gradu locanda veniunt. Nam, ut id prætereamus, quod publica quoque quoad causam efficientem dici possint illa pignora; (res enim diversæ naturæ inter se ad hunc effectum non sunt componendæ, ut consequentiae de una ad alteram ducantur) alia validiora argumenta illam nobis suadent sententiam. Non solum enim & hic valet idem ratiocinium de aliis speciebus jam habitum,

(o) GABRIEL c. I. §. 10. 11. 15. 17. De PASSERIBUS c. I. §. 14. 16. 26.
27.

bitum, quod per L. *scripturas* a gradu, quo olim ante distinctionem inter publicas et privatas hypothecas gaudebant, minime remotæ fuerint judiciales hypothecæ; sed & hoc etiam accedit, quod earum fides, nedum æque certa, quin imo certior sit, ac publicorum pignorum, cum vel ex actis judicis, vel decreto prætoris, de illarum origine indubie constet, & ita ratiō legis hic manifesto cœset. Hoe autem obiter monere nos non pigebit, quod in pignore Prætorio in specie sic dicto, omnes creditores in bona debitoris missi & ita jus æquale habentes, inter se pari jure gaudeant, sine respectu temporis; (a) ast contra omnes alios creditores, diversi generis pignora habentes, prioritas temporis etiam hic obseruetur. (b)

§. XVI.

Jam vero de loco hypothecarum *Legalium*, in collisione cum publicis & privatis, inquire nobis supereſt. Quo autem paritatem juris inter *Legalia* & publica pignora demonſtremus, illa, quæ iterata vice occasione testamentarii, prætorii, aliorumque pignorum, de objecto Legis Leoninæ, supra posuimus, ne tedium Lectoribus moveamus, repetere opus non est. Sed tamen & ista optimo jure hic adapplicationem inveniunt. Legales enim hypothecas, antequam Imperator inter publicas & privatas differentiam quamdam posuisset, cum publicis pari passu ambulasse, modo is, qui ad pignus legale provocat, de veritate facti, cui beneficium a lege concessum innititur, fidem

D 3

legi-

(a) L. 15. §. 15. D. d. *damno infest.*

(b) L. 2. C. qui *postior in pign.*

legitime fecerit, juris est constantissimi; an vero, cum mere privatis illæ revera concurrerint, non est adeo expeditem, ut potiores quidem negantium partes adpareant, sicuti supra sat prolike deduximus. Legem vero *Scripturas* ad legales pertinere, nemo facile adfirmabit, quæ scilicet sine instrumentis sua sponte subsistunt, existentiamque ac indolem suam nonnisi a Legibus ipsis accipiunt. Nullibi ergo reperitur Imperator, jure veteri abrogato, directe vel indirecte privilegium protopraxiæ conventionalibus hypothecis, quas publica loquuntur instrumenta, præ legalibus innuisse. De tali tamen constitutione ut manifesto constaret, opus esset, cum jura nova in præjudicium eorum, qui ita Lege non comprehenduntur, introducuntur. Enimvero creditores hypothecarii legales tertii cuiusdam partes revera agunt in hac lita, inter hypothecarios publicos & privatos mota, & ab Imperatore in L. II. C. qui potior. decisa. Quæ sententia cum Legalibus nocere nequeat, nihil est cur adfirmemus, eas gradu suo, quo antea cum publicis gaudebant, omisso, in Classem privatum remotas & rejectas fuisse. (a)

§. XVII.

Neque ad talem propugnandam sententiam arma LEYSERI
(a) induere necessum habemus. Mancam enim esse illam hypothecarum legalium cum publicis comparationem, nec illum effectum sortiri valere, quod illi Clasii, privilegia huic tan-

(a) Idem sentit *Celeberrim. Fr. Et. PUFFENDORFIUS in Observat. Jur. Univers. Tom. I. obs. 211. §. 3.*

(a) *Meditat. ad Dig. Spec. 226. m. 1.*

tum propria tribuat, ac in pignus necessarium, seu Lege ipsa, etiam invito debitore, constitutum, prærogativam, nonnulli formæ publicæ instrumentorum in conventionalibus conscriptorum, a L. *Scripturas*, concessam, transferat, jam antea monuimus. Huic tamen LEYSERI sententiae applausit HVBERVS qui sequens exemplum hoc in argumento posuit. (b) Concursum fингит hypothecæ conventionalis privatæ tempore primæ; porro Legalis tempore sequentis, & tandem conventionalis posterioris publico instrumento firmatae. Ita vero diversarum earum hypothecarum ordinat prærogativas, ut primum locum obtineat publica, secundum legalis, postremum denique privata; non obstante regula: vinco vincentem ergo & te, quæ nempe tantum ad æquabile successorium, non ad diversos creditorum ordines, applicari dicitur. Ast, si secundum ipsius HVBERI principia, legales hypothecæ etiam sunt publicæ, harumque jure utuntur, non facile perspicitur, cur in exemplo proposito legalis publicæ cedere debeat. Nec refert, quod hic etiam in collisione veniat hypotheca privata; cum enim utrius & Legali & publicæ ex HVBERI sententia postponatur, nullatenus illarum æquilibrium turbare potest. Si ergo in specie data legalis tempore prior etiam ordine prior remaneat, tum sequatur publica & deinceps veniat privata, principia paritatem jurium inter Legales & publicas statiblementia melius observarentur, ipsaque Legis ordinatio intacta subsisteret.

§. XVIII.

(b) In *prælect. jur. civ. Lib. XX. tit. IV. §. 36.*

Temperamento quodam item inter Doctores prærogati-
vam pignorum legalium præ privatibus affirmantes, aliosque illam
negantes, componere voluit J. H. BOEHMERVS (a), medianum
scilicet aperiens viam, & adserens, hypothecam legalem tunc
tantum publicæ jure gaudere, si instrumento publico, quod super
negotio & contractu principalí consectum est, accesserit; alioquin
in ordinem privatarum eam reponendam esse arbitratur. Hanc
autem opinionem absolute & sine ulla restrictione recipere,
minus tutum nobis videtur. Nullibi enim in Legibus reperitur,
ad constitutionem hypothecarum legalium ita pertinere publica
instrumenta, ut his deficientibus prærogativam ordinis debeat
mittere. Legem porro I. C. qui pot. ad conventionales
instrumento probatas, potius quam ad alias pignorum species
respectum habere antea observavimus, ita ut, sicuti pignora
conventionalia per testes demonstrari Leges non vetant, ita
nec legalia. Haec vero, cum majori quidem favore ac illa
gaudeant, quippe a Legislatore ipso immediate data, meliori
etiam jure ac illa publicis æquiparantur; modo tamen, me-
diis probandi legitimis, extra omne dubium positum sit &
factum ipsum & præcipue tempus quo contractum est nego-
tium, cui Leges securitatem ex pignore accedere voluerunt.
Difficilius tamen negaretur, quod, ubi factum, cui Leges
beneficium hypothecæ indulserunt, non alter quam scriptura
privata demonstrari potest, tunc propter minus certæ proba-
tionis

(a) BOEHMERVS Exerc. ad Exerc. 60. Cap. I. §. 15. in fine, quem
sequitur WESTPHAL in Lib. vom Pfandrecht. §. 167.

tionis vitium, illæ dubiæ hypothecæ præ aliis certioribus nullam obtineant prioritatem, quod certe ex principiis juris generalibus prono alveo fluere videtur. Ideo non sine ratione pronunciasse videtur BOEHMERVS, hypothecas legales, solo privato innitentes instrumento, conventionalibus publicis postponi debere. Neque tamen id concedere possumus, illas solas, quas publica loquuntur instrumenta, publicis æquiparari, cum & alias plenas probationes hac in specie Leges neutiquam reprobent.

§. XIX.

Nec illorum etiam Doctorum, maximi sane nominis, qui pignora legalia ad Classem privatorum indistincte referunt, numero & auctoritate deterriti (a), a nostra dimovemur sententia; hujusque trite veritatis memores, opiniones potius ponderandas esse quam numerandas, ad examen ipsius controversie progredimur institendum. Dissidentium argumenta non nisi a forma, quibus proponuntur, inter se distantia, deducuntur vel 1) a paritate jurium inter legales & privatas hypothecas antiquis Legibus constituta, nec a Leonina dispositione sublata, vel 2) a forma a dicta Lege, securitatis fidei publicæ gratia prescripta; quæ fides periclitari dicitur in Legalibus hypothecis, propter incertitudinem temporis earum constitutionis.

§. XX.

(a) LAVTERBACH de tacit. pign. 1b. 48. HARPRECHT Resp. 92. Idem in D. de pign. publ. §. 5. 6. SCHOETFF in Cons. Tubing. Vol. IX. Cons. 28. n. 45.

Primum rationes ita sere subdueunt hypothecarum legium detraictores. Hypothecas legales, ante L. *scripturas*, etiam ex sola prioritate, privatis potiores estimatas fuisse, juris est plus quam evidentissimi. Ast Leo Imperator privilegium quodam singulare publicis concedens, easque præ aliis altius extollens, legalium nullam habuit rationem; unde patet eas in pristino remansisse ordine; eo magis, quod privilegium tali Legge correctoria uni speciei indulatum, ad alteram minime sit extendendum; ut hæc juxta antiqui Juris principia hodienum veniat estimanda. Sed facilis videtur ad hæc responsio. Jam supra enim de illo principio, quod Lex Leonis sit vere correctoria, merito dubitatum est. Nam creditorem, nullo alio medio, nisi scriptura privata inter se et debitorem secrete consecuta, probantem, aliis creditoribus de hypotheca legali rite docentibus, sub specie suspectæ cujusdam prioritatis, unquam prejudicasse, ex nullo juris textu defendi potest. Inde merum videtur esse figmentum, legales olim cum privatis, quorum admodum suspecta ex instrumento privatim seu secrete consecuto est probatio, pari passu ambulasse; quin potius, cum omnibus conventionalibus, quomodounque plene probatis, etiam sine publico instrumento, pari loco habitas fuisse, rationi juris evidenter convenit. Evanescit ergo et hoc assertum, quod Leo Imperator jus vetus hic correxerit; nec melius dicunt, illum privilegium singulare publicis præ omnibus aliis tribuisse, cum in hac constitutione regula potius quedam juris antiqui, scripturis privatis in genere adversantis confirmata, ac pignoribus diserte applicata, reperiatur. Sed et si ponamus, privilegium quod-

quoddam publicas hypothecas accepisse, quo pacto valebit contra legales tale privilegium, quarum plane nulla mentio in ista Lege fit? Quod si certe dissentientium prævaleret opinio, legales hypothecas non recte a privilegio prælationis Lege Leonina constitutæ amotas dixeris, quin potius eas e priori suo ordine detrusas, ac e possessione loci, ex antiqua juris dispositione eis competentis, sine Lege, nulloque accidente legitimo fundamento, dejectas fuisse, necessario inde consequeretur.

§. XXI.

Similia fere opponi possunt huic argumento, e forma, quam ad securitatem fidei publicæ in publicis proposuisse hypothecis prædicant Imperatorem, desumto, quæ cum in legalibus locum non habeat, eadem fraudes hic necti possent, quas in privatis coerceri, legislatoris prudentia postulavit. Colligunt inde, quod sicuti Legis ratio, ita & ejus dispositio hoc in argumento valere debeat. Sed forma ab Imperatore publicis præscripta neque ad legales spectat, neque eorum naturæ convenient; in quibus scilicet instrumentum publicum sæpius est incognitum. Habet exempla. Hypothecæ pupilli in rebus pecunia sua emtis, qui publico instrumento minime probare potest, pecuniam fuisse suam, cum, illam etiam sine mutu datione ad ementem pervenisse, ad essentiam hujus hypothecæ pertineat; *uxoris* in bonis mariti ratione paraphernalium; *Liberorum* in bonis patris respectu bonorum maternorum; in quibus omnibus speciebus, aliisque similibus, nullum confici solet instrumentum, nec ulla quidem culpa creditoribus, quod talem neglexerint cautelam, jure obiici potest. Præterea

quamvis publicum instrumentum in legalibus hypothecis necessarium non sit, haud prorsus inde colligere licet, fraudibus eo ipso in his negotiis viam parari. Nullatenus enim ab obligatione, jus suum per testes vel aliunde plene probandi, immunitis censendus est creditor; cum hunc effectum plane non habeat beneficium pignoris a Lege tributum, ut de negotio ipso, ex quo pendet tale jus, docere non teneatur ille, qui eo uti adpetit. Deficiente autem tali probatione, merito in classem privataram rejicienda videtur haec dubia hypotheca; sive privilegium a Legibus acceperit, nec ne, ut supra (§. XI, XIV) de pignore coram testibus constituto monuimus.

§. XXII.

Si vero paucis verbis haec omnia concludere licet, sequens regula, in ordinando diversorum pignorum concursu, juri & rationi diffusa haud videtur. Quod, cum Leonis constitutio, inter publicas & privatas hypothecas, unice jus dicat, omnia alia pignora (modo nullo speciali utantur privilegio) sive voluntaria, testamentaria & conventionalia per testes vel aliunde sufficienter probata, sive necessaria, veluti prætria, judicialia & tandem legalia, etiam aliter quam per publicum instrumentum sufficienter demonstrata, cum publicis non privilegiatis indistincte hodienum concurrant; ad classem vero privatorum referantur illa omnia, quæ privatam tantum scripturam, alienante minus certam probationem pro se habent; sub quocunque veniant nomine & quocunque munita sint privilegio.

§. XXIII.

 §. XXIII.

Exposuimus haec tenus Romanorum de pignore publico ejusque prærogativis principia: superest, ut quid hodie apud nos obtineat, videamus; ubi scilicet jure quidem Romano vivitur, sed ita, ut præcipuus locus patrīs institutis & moribus habeatur; quo scilicet concursu Romanarum legum & patriorum institutorum de illarum applicatione ad negotia forensia anceps sepe quæstio fieri solet.

§. XXIV.

Quodsi Leges Romanorum de oppignorationibus percurramus, facile a quoconque observatur, in illis & alienationem & oppignorationem rerum suarum civibus justæ ætatis integræque mentis liberrimam relinquunt: eamque facultatem liberrimam alienandi & oppignorandi adeo inesse videbatur naturæ pleni dominii, ut in his magistratus neque consensu neque auctoritate opus esset. At non Germani tantum germanicæque originis gentes, sed & aliæ plures in alia omnia ibant. Etiam si enim illi in *mobilibus* liberrimam civibus suis dispositionem permetterent, *immobilium* tamen longe alia ratio habebatur. Etenim, cum nobiliorem partem substantiæ constituere soleant res soli expeditatque reipublicæ, ne quis re sua male utatur, factum inde est, ut multæ sane gentes alienari eas res non aliter paterentur, quam magistratus auctoritate interveniente & dominio

E 3

apud



—————

apud acta sollemniter abdicato. (a) Ut vero oppigneratio via erat ad alienationem, imo vero quorundam populorum moribus jus pignoris proxime accedebat ad dominium utile ejusque naturam fere in duebat (b); ita non magis jus pignoris, quam dominium alicui constitui posse videbatur absque magistratus auctoritate, cuius rei non solum in Germania (c) frequentia supersunt vestigia, verum etiam in Gallia ita observari, testatur CHOPPINVS (d), in Hollandia van LEEVWEN, (e) ut alios prætereamus.

§. XXV.

Ubicunque itaque ex peculiari patriæ instituto detraictum est facultati civium, res suas immobiles privatum oppignandi, hoc quoque in necessitatem juris abiit, ut vel auctore magistratu constitueretur hypotheca, vel saltim rogatu debitoris infereretur in librum publicum, quem *des Hypotheckenbuch* apud nos appellare solent. Illud sane rationibus juris antiqui de prohibita bonorum immobilium, absque magistratus auctoritate oppig-

(a) Cf. *Lex Ripuar.* tit. 59. §. 1. *Ius prov. Sax.* L. 1. art. 34. & 52.
Lib. 2. art. 30. & *Weicbb.* art. 20. Plura dixerunt *Ge.* BEYER in *spec. Iur. Germ.* L. 1. c. 19. & HEINECC. in *Elem. Iur. Germ.* Lib. 2. §. 24. usq. sqq.

(b) Vid. THOMAS in *D. de usu pract. distinctionis inter emt. vend. cum pact. de retrovendendo & contract. pignoris cum pacto antichretico.*

(c) Cf. SCHILTER in *Exerc. ad Pand.* Ex. 33. §. 7.

(d) *d. morib. Paris.* *Lib.* 3. tit. 2. §. 20.

(e) in *Censura forensi.* L. 4. c. 7. n. 2. 19.

oppigneratione convenientius videtur, ita, ut non tam ad publicam fidem eorum, quæ apud judicem geruntur, sed potius ad ejus consensum, quo opus omnino est in alienatione rerum immobilium, respectus habitus fuerit: necessitas vero insertio-nis in librum publicum ex noviori instituto derivare videtur, quo scilicet eo magis creditorum securitati ne fraudibus debitorum circumvenientur, prospectum esset. Etenim cum homines prodigi, dummodo bona immobilia possideant, facile inventant, qui fidem suam sequantur & pecuniam credant, ac inde saepius contingat, ut aliquis ignarus hypothecarum antea constitutarum, quibus fundi debitoris jam pridem afficiuntur, se fatis putet seeurum, cum tamen fundi illi solutioni anterioribus creditoribus facienda non sufficiant: proficuo sane reipublicæ confilio hæc inscriptio hypothecarum in librum publicum, cuius facilis est inspectio ejus, a quo mutua petitur pecunia constituta est. Itque finis etiam commodissime obtinetur, ubi hypothecarum in bonis immobilibus constitutio ex antiquiori instituto fit consensu magistratus, cum saltem in acta publica inscribi soleant ea, quæ apud magistratum geruntur, quorum facile notitiam acquirere potest creditor securitati sue bene prospecturus.

§. XXVI.

Illud vero maxime observatione dignum est, quod, si quis omiserit, hypothecam aliquam libro publico inserere, vel magistratus auctoritatem requirere, varii inde effectus sequantur, quos Lex ista specialis expressos contineat necesse est. Autem plane nulla et invalida est istiusmodi hypothecarum constitutio,

stitutio, adeo ut creditor, qui contentus illa esse maluit, pro simplici tantum habeatur; aut valida quidem est, sed illicita, ut scilicet creditor ius quidem hypothecæ competat, sed debitor, qui privatim illud constituit, pœnae subjaceat; aut denique valida illa est æque ac licita, ita tamen, ut creditor, qui privatim pignus sibi in re immobili constitui curavit, illi tantum postponi debeat, qui securitati sua constitutione hypothecæ iudicis consensu firmata vel saltim libro publico inserere prospexit.

§. XXVII.

Ex principiis hæc tenus expositis æstimari omnino debet illud Pignoris hypothecæ genus, quod Doctribus nostris quandoque *publici* nomine venire solet, ideo quod ejus constitutioni, statutario jure exigente, auctoritas magistratus accedere debet, quando de validitate hypothecæ vel saltim prærogativa ejusdem præ alia qualicunque quæstio incidit. Sed & quantum differat hoc publicorum pignorum genus, quod ex statutario jure originem traxit, ab eo, quod ex Romanorum jure descendit ac ideo publicum appellatur, quod constitutio ejus ex instrumentis publice consecratis demonstrari potest, utrumque comparanti in oculos facile incurrit. Neque enim posterius auctoritate judicis præcise opus habet, cum & scriptura a tabellione consecrata, vel a tribus testibus subscripta publicum pignus efficiat: Qualitas pignoris publici, sensu Romanorum talis, in probatione ex instrumentis publice vel quasi publice consecratis facienda; publici vero, sensu juris statutarii talis, in constitutione pignoris, quæ non nisi judicis ejusdem-

que



que competentis auctoritate legitime sit, versatur. Plura non addimus, cum differentiae ex ipsa utriusque pignoris inspectione adpareant. Progredimur potius ad id, propter quod pignorum publicorum, juris romani & statutariorum significatione talium, notiones & differentias haec tenus exposuimus. (a)

§. XXVIII.

Scilicet in his regionibus, quae hodiernum jure Romano, tanquam subsidiario, utuntur, anceps saepius fit disputatio, quo loco haberi debeant ex pignorum species, quas subsidiarium Romanum introduxit, quando cum statutario isto pignore, quod publicum appellamus, concurrat.

§. XXIX.

Primum quidem illud expeditum esse videtur, quod, si jure statutario destinatur, aliud quocunque pignus, praeter illud, quod publica magistratus auctoritate constitutum vel & libro publico insertum est, invalidum esse debere, de concursu pignoris tum privati, tum publici sensu Romanorum talis, cui scilicet requisita istius pignoris statutarii desunt, quaestio nem non superesse. Supereft vero concursus pignorum legallium eorumque omnium, quae non a debitore, sed v. c. ab ipsa lege vel magistratu constituantur, quæque Romanis judicialium nomine venire supra dictum est. Hæc autem dispositione aliqua statutaria de pignoribus non nisi consensu magistratus constitu-

(a) Cf. HELLFELD in D. supra cit. §. 38. seqq.

stituendis, non contineri, firmiter nobis persuasum est. Quam-
cunque enim rationem juris illius statutarii proponas, de eo
certe nunquam dubitari potest, quod necessitatem legalem con-
tineat, qua facultas civis cujuscunque, de re sua pro libitu
disponendi, ex ratione utilitatis publicae circumscribatur: quo fun-
damento inspe^cto oppido non perspicimus, quo pacto istius-
modi dispositio ad pignus ipsius legis vel et ipsius magistratus
auctoritate constituendum pertinere queat.

§. XXX.

Quodsi vero, admissa pignorum quorumcunque privatum con-
stitutorum efficacia, Lege statutaria constituta saltem est pig-
norum publicorum prae ipsis praerogativa, alia rursus inspe^cto
est, quam brevissimis ita definimus. I.) Inter ea pignora, quae a
debitore volente creditoribus constituuntur, prima causa est eo-
rum, quae consensu & auctoritate magistratus constituta, vel
&, jure statutario id admittente, libro publico inscripta sunt.
Quae requiritis hisce qualitatibus sunt destituta pignora, illis
omnino postponuntur, non admissa distinctione, sive instrumen-
tis publicis sive privatis demonstrari queat pignus creditori a
debitori constitutum fuisse, i. e. sive sensu juris Romani pub-
licum sit pignus sive privatum. Quae enim jure nostro statu-
tario vel in jure magistratus alienationibus & oppignorationi-
bus rerum potestati sue subjectarum consentiendi, vel in uti-
litate publica posita est ratio praerogativae pignoris publici,
ad effectum perduci non potest observarione eorum, quae jus
Romanum de pignoribus ex instrumentis publicis vel quasi pub-
lice confectis, probandis, quibusque de eo saltim cayetur, ne
cre-

creditoris pigneratitii temporis prærogativa præ altero potio-
 ris, secreta debitoris cum creditore posteriore collusione,
 falso in instrumento tempore expresso, evertatur, statuit.
 II.) Cum vero Lege hac statutaria nonnisi pignorum publica
 auctoritate constitutorum prærogativa statuatur; quod mu-
 tatum non est, stare non prohibetur. Neque vero mutata
 est *pignorum publicorum sensu juris Romani talium præ privatis*
 prærogativa quæ & ipsa, uti nos supra observavimus ra-
 tione quadam naturali nititur. Jure ideo, ut videtur, nos
 contendimus, inter pignora voluntate debitoris constituta,
 primum locum obtinere ea, quæ publica juris statutarii
 sensu appellavimus, secundum pignora sensu juris Romani
 publica vel quasi publica, tertium denique privata.
 III.) Supereft, ut de loco, quem in isto concursu, quæ in-
 vito quoque debitore constituuntur, pignora *legalia & judi-*
cialia obtineant, dispiciamus. Leges iftas statutarias, quæ præ-
 ter illa pignora magistratus auctoritate constituta librisve pub-
 licis inscripta, alias quascunque pignorum species non admit-
 tunt, ad illud pignorum genus, quod a lege vel judge con-
 stituitur, nullatenus pertinere, supra (§. XXX.) a nobis ob-
 servatum fuit. Jam vero ex iisdem rationibus æque expedi-
 tum videtur, nec prærogativam pignorum publicorum sensu
 juris statutarii talium præ aliis, ad pignora legalia vel judicialia
 recte produci. Quodsi enim ratio iftius prærogative in consensu
 magistratus oppignorationi accedente posita est, facile adparet,
 in pignore ipsis legis auctoritate constituto eadem, imo quoque
 fortioriem omnino prærogativæ rationem adesse, adeoque, nisi
 imperans legalis quoque pignoris constitutioni solemnitatem

15

quandam judicialem adjici voluerit, istas constitutiones de pignorum publicorum prerogativa nonnisi strictam interpretationem admittere, quæ scilicet alias pighorum species, quæ ne ratione quidem istiusmodi Legis correctioræ continentur, in deteriorem conditionem non detrudat. Ita vero nihil omnino impedire videtur, quo minus pignora legalia eodem cum publicis passu ambulare contendamus. Ita sane in Hollandia, ubi registratarum s. libro publico inscriptarum hypothecarum eadem prerogativa obtinet, qualis apud nos hypothecarum magistratus auctoritate constitutarum, judicari, testes sunt *Utr. Hyberrus* (a) *Jo. SANDE* (b) & *Sim. van. LEEVWEN* (c) qui in Brabantia hypothecam judicialem posteriorem specialem legali priori anteferri tanquam rem plane singularem annotavit; imo quoque in Germania ejus rei adstipulatores habemus viros longe gravissimos & auctoritate forensi conspicuos, quorum posterior hanc sententiam in ipsis rerum argumentis obtinuisse testatur, *Erid. EJ. de PUFFENDORF* (d) nec non *Dav. G. STRVBEN.* (e)

(a) in Praelect. ad Pand. tit. qui pot. in pig. §. 36.

(b) in Decis. Frif. L. 3. tit. 123. Ref. 55

(c) in Censura forens. P. 3. C. 4. 6. 3. p. 6.

(d) in Obs. jur. univ. Tom. I. Obs. 24. & Tom. III. Obs. 18.

(e) in recbil. Bedenk. Tom. I. Bed. 19. Tom. V. Bed. 96.

ULB Halle
007 474 644



3

VD18





Farbkarte #13



1780 A.

TIO IVRIDICA INAVGVRALIS
DE
GATIVA PIGNORVM
UBLICORVM

KENFRIED
UNIVERS.
ZV HALLE

Q V A M
B AVSPICIS DIVINIS
C SITATIS EBERHARDINO - CAROLINAE
MAGNIFICENTISSIMO
POTENTISSIMO DVCE ET DOMINO
D O M I N O
A R O L O
BERGIAE ET TECCIAE REGNANTE
REL REL.

LLVSTRI IVRISCONSVLTORVM ORDINE
P R A E S I D E
CHRIST. HOFACKER
OCTORE ET PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,
DOCTORIS RITE OBTINENDO
NOV. M D C C L X X X.
PVBLICE DEFENDET
R ET RESPONDENS
C V S S E C R E T A N
LAVSANNENSIS.

GÆ, TYPIS SCHRAMMIANIS.